

Erunt fortasse, quos in hoc Specimine non *Teutonica* tantum, sed vel ipsa *Latina* advertent, quae una mecum optabunt, ut *Nomenclator* totus in usum publicum cedat.

LXVI.

67 *nunc VI. B. 14*
Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per duas columnas literis minusculis exaratus et rubricatus continet *Enarrationes in Psalmos, in Actus Apostolorum, in Apocalypsin, in Epistolas Canonicas*. In Psalmos hoc est initium: *Beatus. Psalmus iste titulum non habet duplici ratione. quia proemium est. et prologus. et continet totam libri materiam. i. cristum totum. et membra. sponsum et sponsam. cristum et ecclesiam. et quia alibi titulus restat inquirendus et requirendus. &c.* Sic proceditur usque ad Psalmi CVIII. *Deus laudem meam &c. v. 21.* ubi sensu manente imperfecto finitur: *In Glo. nullis meritis operum precedentibus sed communicantibus neque enim angeli.*

Enarratio in *Actus Apostolorum* fol. 78. sic incipit: *Mandragore in portis nostris dederunt odorem suum. In ecclesiaste legitur quod funiculus triplex non de facili rumpitur &c.* Capitum nulla fit distinctio, finiturque in conciliatione Bedae et Rabani circa tempus martyrii Principum Apostolorum cum clausula: *Expliciunt actus apostolorum.* Tum statim

Fol. 83. p. 2. *Incipit apocalypsis.* Ingressus est: *Micheas erit iste.*
Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

pax cum uenerit affrius. in terram uestram et quando calcauerit in domibus uestris &c. Finis: *Alij habent. q. excommunicavi. et cristus mecum excommunicat.* Demum

Fol. 86. sub rubrica: *Canonicae Epistole*, sequitur harum brevis expositio, cujus principium est: *Uidi et ecce candelabrum totum aureum. et lampas ejus super capud eius &c. Job. I. c. 5.* explicatur utrumque *testimonium*, coeleste tamen confuse, novo argumento, quam facile turbentur Librarii, ubi eadem voces repetendae sunt. Clausula est: *quia ipse est potens cui nichil resistit, et hoc ante omnia secula etc. Amen hoc est uere. Expliciunt canonicae epistole.*

Autorem *Enarrationum in Psalmos* Gilbertum Porretanum Ep. Pictaviensem Sec. XII. scriptorem esse, ipsum earum initium evincit, quod habes etiam apud *Oudinum* T. II. p. 1286. ubi pluries *Misptae* citantur, uti et in *Bibl. sacra Lelongii* T. II. p. 911. Typis expressas unquam fuisse, non putem, neque id adeo dolendum. An vero reliquae etiam *Enarrationes Giberti* partus sint, quanquam tractandi ratio et stilus id suadere videantur, tacentibus *Henrico Gandav. Tritemio, Caveo, Oudino, Fabricio &c.* adferere non audeo. Fronti Codicis nostri adscriptum est: *Liber fratrum minorum in Winna.*

LXVII. VII. B. 13

Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 176. f. nitide exaratus